

S. C. resp.: Servandum esse decr. Episcopi. Die 29. Novb. 1755 ad 4. In *Varmien*.

l) Obligatio Cleri saecul. ad Off.

Vd.: *Patronus Parochiae*.

*Ad dub.*: An omnes Eccl. paroch., in quibus adest solus Parochus vel Vicarius pro servitio Parochianorum, sed subjectus Parocho in alia Eccl. commoranti, teneantur vel possint celebrare Officium et Missam de festo titulari Eccl. et quidem sub ritu I. Cl. et cum Oct., etiam si de suo s. Titulari Festum celebretur alia die, vel numquam in toto anni decursu in aliis Eccl. Dioecesis?

Et s. eadem C... respondendum censuit:

„Ad officium s. Titularis teneri Parochum tantum.“

Atque ita rescripsit, declaravit in dulsit servari mandavit. N. 5050 ad 3. die 23. Maji 1846.

*Ad dub.*: In Ecclesiis non parochialibus, in quibus unus vel alter Sacerdos quotidie celebrat, potestne Missa s. Titularis hujusmodi Ecclesiarum celebrari sub ritu dupl. I. Cl. et Octava et cum *Credo*, vel potius an istae Ecclesiae equiparandae sint Cappellis publicis, in quibus juxta Decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831 ad dub. 34. Festum Titularis celebrari sub ritu dupl. I. Cl. cum *Credo* et Octava non debet?

S. C. resp.: „Affirmative quoad primam partem, si sint in honorem alicujus Sancti consecratae eisque aliquis Clerus addictus, quoad secundam affirmative in casu superius expresso.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183. ad 16. Die 16. Aprilis 1853.

Si festum s. Marci ev. erit Titularis tantum Ecclesiae paroch. et non totius oppidi Robereti Officium

celebrandum erit sub ritu 1. cl. ab iis sacerdotibus tantum cum octava, qui addicti sunt servitio ecclesiae paroch. et non ab aliis. n. 4131 ad 2 die 15. Sept. 1742.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Off. Oblig. Cleri; decr. n. 5152 et de die 17. Aug. 1709; *Titularis* (festum celebr. decr. n. 3721); *Titularis* (obligatio Regul.); *Oratorium privat.* (decr. diei 11. Apr. 1840.)

*Ad dub.*: An Titularis matris Ecclesiae, quae est matrix totius populi civitatis, habeat aliquam specialitatem aliarum Ecclesiarum titularium, ita ut possit recitari Officium et missa a toto clero saeculari civitatis vel tantum ab illis, qui sunt de gremio ejusdem Ecclesiae matricis? S. C. resp.: Ab illis tantum, qui sunt de gremio. n. 3701 ad 8 die 23. Aug. et 13. Sept. 1704.

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare officium juxta rubricas, maxime si ecclesiae sint peraeque unitae. S. C. C. 5. Julii 1698.

m) Obligatio Regularium ad officium.

Vd.: *Titularis Eccles. paroch.*

Regulares non teneri ad recitationem officii de octava Titularis principalis. n. 4121 die 16. Sept. 1741.

*Ad dub.*: Regulares translati de uno Monasterio ad aliud remanente vero proprietate prioris loci apud ipsos, debentne recitare Officia s. Titularis illius prioris Ecclesiae et Dedicacionis sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct.? Et an in suffragiis Sanctorum debeant addere commemorationem illius s. Titularis?

Et s. eadem C... rescribendum censuit:

„In casu non teneri.“

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit. N. 5042 ad 3. Die 23. Maji 1846.

Religiosi tenentur celebrare sub ritu dupl. 1. cl. cum oct. Festum tam dedicationis quam Titularis Ecclesiae illius conventus, in quo morantur et sub eodem ritu dupl. 1. cl. tenentur recitare de Patrono principali loci et de Titulari Ecclesiae Cathedr. tantum; ad octavam autem non tenentur, de aliis autem patronis minus princip. non tenentur recitare, nisi sint descripti in Calendario rom. vel in dictorum religiosorum proprio. S. R. C. 24. Jan. 1682 in una Ord. Min. de Obs.

n) Officium et missa, si celebr. ut Titularis unus tantum ex duobus Sanctis, qui alias simul celebrantur.

Vd.: *S. Sebastianus*.

*Dub.*: In dubio utrum Sanctus Gervasius sit solus Titularis alicujus Ecclesiae vel Sanctus Protasius sit cum ipso contitularis per modum unius: similiter utrum Sanctus Dionysius sit solus Titularis vel ejus socii sint cum ipso contitulares, fierine debet officium de uno martyre quasi unus tantum esset Titularis ad normam Rubricae post tabellam occurrentiae et Decretorum diei 22. Novembris 1663 in Baren ad I. et II. vel de pluribus martyribus, quasi essent simul Titulares?

*Dub. II.*: Posito quod officium fieri debeat de uno martyre in praedicto casu, quaeritur quomodo ordinanda erit Missa de Sancto Gervasio, 1. Omnia, quae sunt de communi plurimorum martyrum, debentne mutari in alia desumenda e Communi unius martyris? 2. Si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de Communi unius martyris recurrendum

sit? 3. Omnia, quae sunt propria, licet in numero plurali, ut Introitus, Epistola, V. . . „Haec est vera fraternitas“, Offertorium, et Communitio debentne servari pro sancto Gervasio, quum nonnumquam in Missis pro uno Sancto inveniantur verba in plurali numero?

S. C. resp. *Ad I.*: *Deficientibus monumentis rem declarantibus in casu: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

*Ad II.*: *Missam in casu legendam ut in Missali die XIX. Junii cum Orationibus et Graduali, ut in Missa Laetabitur de Communi.*

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. Ser. II. Romae 1857 p. 2191.)

*Ad dub.*: Ubi Sanctus Vitus est solus Titularis ac proinde a sociis separandus, 1. Epistola et Offertorium, quae sunt de Communi plurium martyrum, debentne mutari in alia ex communi unius martyris? 2. Et si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de Communi unius martyris recurrendum sit? 3. Omnia quae sunt propria debentne retineri pro Sancto Vito, etiamsi sint in plurali numero, mutando tamen numerum in Orationibus?

S. C. resp.: *In Missa Laetabitur de Communi, Evangelium de Festo.*

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. Ser. II. Romae 1857 p. 2191.)

o) Quis ex duobus celebrandus?

Vd.: *Titularis eccles. (electio); Titularis Cathedr. (Quis ex duob.); Titularis Ecclesiae; (suppressio); Titul. Eccles. bened.*

Burgen.

Quum Emmus et Rmus D. Card. Caprara a latere Legatus in Galliis in eo esset ut executioni mandaret, quae a s. m. Pio Papa VII. per literas apost. in forma Brevis praescribebantur quoad Paroeciarum circumscriptionem, Archi-

episcopis et Episcopis facultatem attribuit Paroecias ipsas extendendi nec non eorum titulos extinguendi ac tandem novos titulos assignandi Ecclesiis, quae in Paroecias erant erigendae. Hujusmodi facultate suffultus tunc temporis Gandaven. Ep., cui suberat Ecclesia loci s. Andreae, praefatam Eccl. in succursalem erexit illique in Patronum s. ipsum Andream assignavit. Verum quum Rector supradictae Eccl., quae in praesentiarum ad Dioecesim Burgensem spectat, apud Rmum Brugen. Ep. indubie comprobarit Eccl. ipsam ab immemorabili Patronam titularem venerasse s. Annam Dei Genitricis Matrem, atque insimul exposuerit commune votum incolarum esse hanc ipsam sanctam, ut antea, propriae Eccl. Titularem habere, Rmus ille Antistes, pro ea, qua praestat religione et erga hanc s. apost. Sedem obsequio, S. R. C. humillime requisivit:

1. Utrum semel assignato titulari Patrono alicui Ecclesiae, liceat Episcopo rationabili ex causa illum in alium immutare?

2. Et quatenus negative, enixe efflagitat, ut ex apost. Indulto haec sibi facultas in casu elargiatur.

Et S. eadem Congr. ad Vaticanum hodierna die coadunata in ordinariis Comitibus, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit

Ad I: „Non licere.“

Ad II: „Pro gratia assumendi s. Annam in Contitularem cum s. Andrea ap., facto verbo cum SSmo.“

Die 18. Februarii 1843. N. 4954.

Super quibus omnibus facta postmodum per Secretarium ipsius S. R. C. SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. fidei relatione, S.S. Rescriptum S. C.

in omnibus adprobavit confirmavitque die 11. Mart. 1843.

Paroecia sub titulo e. g. s. Antonii Abb. translata fuit ad Eccl. s. Theresiae Virg., quia Eccl. s. Antonii minabatur ruinam; quaeritur an Regulares, qui nunc cum nova domo hanc Paroeciam acceperunt, debeant pariter officium s. Antonii Abb. sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct. recitare ac s. Theresiae Virg. Titularis Eccl., quamvis Eccl. s. Antonii jam nunc minime existat?

Et S. eadem C. rescribendum censuit:

„Sine novo Indulto non posse.“

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit.

N. 5042 ad 4. Die 23. Maii 1846.

*Ad dub.:* An, quando sunt duo Patroni titulares alicujus Ecclesiae, debeat fieri officium ritu dupl. I. cl. cum Octava de primo et non de secundo?

S. C. resp.: Pro uno tantum. N. 3089 ad 4 die 2. Junii 1685.

*Ad dub.:* An in Ecclesia Ord. benedicta sub titulo ss. Conceptionis Deiparae et s. Paschalis etiam officium s. Paschalis titularis recitari debeat sub ritu dupl. I. cl. cum Octava?

S. C. resp.: Affirmative. N. 4849 ad 2. die 23. Febr. 1839.

*Ad dub.:* An si aliqua Ecclesia duplicem habeat Titularem, de utroque recitari debeat sub ritu ss. Titularibus competenti? S. C. resp.:

„Affirmative.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit.

N. 5183 ad 5. Die 16. Apr. 1853.

Massen.

Antequam Dioecesis Massensis ca-

nonice erigeretur, quod accidit novissimis temporibus, maxima pars locorum dioecesim hanc in praesentiarum efformantium, etiam Ducatus Massae et Carrariae Principatus, subiciebatur spirituali Episcopi Lunen. et Sarzanen. jurisdictioni, cujus dioecesis quum praecipuus sit Patronus s. Andreas Apostolus, festum ejus universa in dioecesi et Massae quoque et Carrariae de praecepto servabatur, eo vel magis, quoniam idem Apostolus est titularis Collegatae Ecclesiae Carrariensis. Primus Dioecesis Massen. Episcopus Franciscus Maria Zoppi Cleri uniformitati et gregis spirituali bono prospiciens Calendarii reformationem festorumque reductionem obtinuit decreto 11. Julii 1827 et quum maxime perciperet suae dioecesi patronum assignare, exquisito Principum assensu de s. Sedis apostolicae benignitate s. Franciscus Assisiensis datus fuit decreto diei 10. Sept. 1828 ea tamen lege juxta placitum decretorum s. m. Urbani Papae VIII. ut celebratio festi s. Andreae supradicti cessaret. Rebus ita dispositis, quibus per se facile animadvertere poterat, praesertim si quid rubricarum praegustaverit, quo ordine essent haec officia recitanda et festum de praecepto servandum. Non omnibus vero res pariter arrisit et pro parte Capituli et Canonicorum Collegatae Ecclesiae Carrariensis Dioecesis Massen. S. R. C. proposita fuere sequentia dubia, nimirum:

1. Quodnam festum cum integro praecepto servari debeat in Ecclesia Carrariensi, an s. Andreae Apostoli antiqui Titularis, an s. Francisci Titularis et Patroni?

2. Qui ritus debeat servari in officio proprii Titularis?

S. eadem C. ad Vaticanas Aedes IX. Cal. Junii anno 1835 Ordinariis in Comitibus coacta, audita relatione ab

infrascripto Secretario facta, respondendum censuit: „Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum.“ Hujusmodi voto audito praelisque cuso VI. Cal. Septbr. insequenti anno 1836 iterum propositis supradictis dubiis ab Emmo et Rmo D. Card. Thoma Weld Relatore in ordinariis Comitibus ad Quirinale coadunatis Emi et Rmi PP. s. tuendis Ritiibus praepositi, omnibus mature perpensis accurateque libratis, rescribendum censuerunt: „Dilata et scribatur Episcopo ad mentem: Mens est ut Episcopus S. C. doceat, an et quo jure festum s. Andreae celebretur de praecepto et quibus in locis Massen. Dioecesis celebretur festum s. Cechardi, atque insuper exhibeatur decretum diei 11. Julii 1827 et Decretum ultimi Episcopi super uniformitate Calendarii et reductione festorum.“ Habita demum Rmi Massen. Episcopi super re plena et fidei informatione visisque supradictis decretis iterumque exquisita sententia Magistri Caeremoniarum S. R. C. ad Vaticanum infrascripta die in ordinario Conventu coacta, ad relationem supradicti Emmi et Rmi D. Card. Thomae Weld, omnibus mature discussis attentaeque consideratis, rescribendum censuit: Juxta votum Magistri Caeremoniarum, nimirum: Clerus Civitatis Carrariae teneatur 1. celebrare officium s. Andreae Ap. sub ritu dupl. I. cl. cum Octava, sicuti Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine festo de praecepto. 2. Servari festum s. Francisci Assisiensis Patroni Dioecesis universae principalis et s. Cechardi Patroni Civitatis sub utroque praecepto.“ N. 4799 die 11. Martii 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Ex facti expositione et dubiis ipsis apparet quaedam esse patrata contra leges, contra statuta, contra ipsam

proxim; quaedam fuisse impetrata ea reticendo quae manifestari debebant; quaedam vero non eo accepta fuisse sensu quo accipi debuissent atque idcirco exorta fuit confusio Titularem pro Patrono, Patronum pro Titulari accipiendo, quasi uterque unus idemque esset, quae omnia paullulum rem consideranti facile patebunt. Sane Titularis Ecclesiae communiter ille est sub cuius nomine seu titulo Ecclesia fundata est et a quo appellatur. Haec definitio sive descriptio praxi respondet et rubricae consona est. Ecclesiae Patronus nomen Ecclesiae, cuius est Patronus, imponit ac ab ejus nomine ut plurimum appellatur et dicitur Ecclesia sancti N., unde ab ejus intitulatione titulus quoque Ecclesiae dici potest, neque tamen confundendus est cum Patrono loci. Loci enim Patronus loco ipsi nomen non dat sicut Patronus, sive, melius, titularis Ecclesiae nomen tribuit: nunquam enim a Patrono locus, e. g. civitas, dioecesis solet denominari adeoque nec titulus pariter loci dici potest. Et si quandoque inscriptio reperitur de titulo loci, ad alium refertur non communem, sed singularem sensum: tunc enim ad ea refertur loca, ad eas regiones, quae recenter fidem amplexae sunt ut in Indiis, in quibus a mysterio aliquo, ab aliquo Sancto, a Conceptione nimirum B. M. V., a s. Cruce, provinciae et insulae nuncupantur et quia ab his nomen fuit in conversione impositum, sic etiam hujusmodi provinciae illum Sanctum pro titulo habent seu pro festo praecipuo et ob singularitatem singulariter quodammodo a Patrono differt, sed hoc est prorsus non commune. Patronum a Titulari differre ex ipsa rubricarum enunciatione eruitur, nam passim legitur *Patronus loci vel Ecclesiae* et sub Ecclesiae Patrono Titularis intelligitur. Differt insuper unus ab altero, quod

loci Patronus magis extenditur quam Patronus sive titularis Ecclesiae: hic enim ad unam dumtaxat Ecclesiam pertinet, ille ad plures. Locus enim, inquit Gavantus in comm. ad rubr. Brev. sect. cap. 12. num. 2., *accipitur pro multitudine cleri et populi, sive pro multis cleris et populis in uno loco, puta civitate, dioecesi, per diversas Ecclesias constitutis, ita ut si in eo multae adsint Ecclesiae vel provinciae, unus idemque sit principalis Patronus.* Respecta hac differentia inter loci Patronum et Ecclesiae Titularem, omissis omnibus iis, quae hac in re adduci possent quaeque reperiuntur apud Baronium, Anastasium, Holstenium, Blanchinum aliosque non paucos, qui fusa de hac re pertractant, ea tantum in medium proferuntur, quae praesentem rem singulariter et taxative afficiunt.

Juxta doctrinam a Guyto et Gavanto traditam titulus, sub cuius nomine Ecclesia est aedificata et primitus dedicata, quemadmodum plerumque unicus est, ita etiam exclusive proprius Ecclesiae titulus est et ab hoc suam Ecclesia illa accipit denominationem. Jam Ecclesiae titulus mutari per se nequit, ita ut primo penitus relicto nulla interveniente legitima causa vel nova Ecclesiae aedificatione et consecratione alius illi substituatur. Esset id contra jus, quod sine sufficiente ratione laedi nequit, sed potius veris accedentibus iisque legitimis causis novus veteri adjici solet et tunc fit, ut, si qua Ecclesia diruta iterum aedificetur iterumque consecratur, aequum maxime sit ut nova non sub alio quam sub priori titulo, quo prius, deinceps etiam appelletur. Iterum accessio novi tituli, si ut supra veteri adjici vellet, non importat Titularem, cui consecrata est Ecclesia et a quo haec nomen accipit, qui et vetustissimus fuit hujus titulus, abrogari vel abrogatum

esse censendum, nisi in nova Ecclesiae aedificatione et consecratione per litteras apostolicas constet veterem esse abrogatum, et non esse cum novo retinendum. Evenit quandoque ut neque per novam aedificationem et consecrationem neque per aliam quamcumque ex praecipuis accedentem causam alio sub nomine seu titulo Ecclesia aliqua nuncupetur, sed ex unanimi populi in Sanctum aliquem aliqua devotione, novum quasi illi nomen et appellatio tribuatur. Sed quid hoc efficit? Si paullatim percrecente in alium Sanctum populi devotione novus Ecclesiae titulus accedit, si de primo nulla aequae paullatim fit mentio, hoc accidentaliter non substantialiter ac realiter sumendum est: id enim evenit non quia abrogatus putandus sit vetus Titularis, sed quia ferventiori populi devotione in aliquem Sanctum, ut non raro solet, inflammatus, illius opem sive in publicis sive in privatis necessitatibus non inutiliter imploratam expertus sit factumque ita est ut sensim veteris illius apud ignarum vulgum oblitterata sit memoria, et a novo, communiter quidem et accidentaliter sed contra regulam, nomine appelletur. Quis unquam dicet, hoc in casu et vetustissimum et legitimum Titularem esse abrogatum aut populi ferventiorum in Sanctum aliquem devotionem alterius Sancti jura laedere potuisse? Quod de Titularibus, id ipsum de particularibus locorum Patronis, si adsint, dicendum est: aequale enim in his, quemadmodum in illis, jus est agnoscendum.

Jam omnibus his ex Doctorum doctrina, ex liturgiis principiis, ex praxi desumptis, quam ratione Titulus s. Andreae Ap., quem ab immemorabili Ecclesia Collegiata Carrariensis retinuit, abrogatus censeretur debet et s. Franciscus Assisiensis illi suffectus est censendus? Quia nempe illius temporis,

quo substitutio haec facta fuit, Episcopus, qui (ut videbitur) Sanctum hunc in dioecesis Patronum petiit et obtinuit, reticuit titulum Ecclesiae, quae ab hoc Sancto appellabatur; quia insuper Calendarii uniformitas ab eo requirebatur in tota dioecesi et exceptio omnis exclusiva. At rationes istae ad veterem excludendum Titularem suoque jure privandum nullius prorsus habendae sunt momenti. Si haec valerent rationes unaquaeque Ecclesia novo accedente ad dioecesim Episcopo novus quoque, veteri relicto, Titularis recipi deberet juxta Episcopi singularem devotionem; et hoc in casu tot essent successive Titulares quot Episcopi Episcopis succederent et tot abrogati Titulares quot prius erant ante novi Titularis substitutionem. Quae effraenata libertas! quae juris laesio! quae sanctissimarum legum eversio!

Si ratio valeret ex Calendarii uniformitate desumpta tunc dioecesis Patroni universales necessario essent Ecclesiarum Titulares, voluit enim Episcopus s. Franciscum Assisiensem Titularem Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, quia eum in totius dioecesis Patronum obtinuit. Actum igitur esset hoc in casu de singularibus et propriis Ecclesiarum Titularibus, actum de immemorabili Patronorum jure, actum de legitima eorum electione, actum de singularibus locorum Patronis, de rubricarum dispositione et regulis, de Summorum Pontificum statutis, de S. R. C. decretis, de praxi, quae omnia unum ab alio distinguunt. At quis unquam hoc evenire patietur?

Sed reponet fortasse aliquis 1: Episcopum pro hac novi Titularis et Patroni concessionem fel. rec. Pontificem Leonem XII. preces porrexisse ab eoque s. Franciscum fuisse concessum. 2: Episcopum obtinuisse a S. R. C. decretum, quo concessio haec fuit adprobata. Quid petiit Episcopus? quid

a Pontifice concessum fuit? Mox videtur. Interim (quod de concessione et decreto dicendum) si Episcopus nimia usus libertate s. Franciscum, sublato veteri Titulari, sublato particulari civitatis Patrono, utriusque loco suffecit; nutaret concessio, nutaret et decretum quia obreptionis vitio penitus laboraret, laboraret autem quia reticuit in supplici libello s. Andream fuisse et esse Titularem memoratae Ecclesiae Collegiatae et s. Cecharum peculiarem civitatis Patronum. Fuisse s. Andream illius Ecclesiae Titularem constat ex ipsa ejusdem Episcopi prohibitione, qua s. Franciscum substituendo vetuit ne in posterum ob uniformitatem Calendarii Clerus s. Andreae Ap. Officium et Octavam celebraret ejusdem Titularis. Fuisse autem s. Cecharum Civitatis Carrariensis Patronum particularem eruitur ex edicto de reductione festorum ab Episcopo Lamellino praedecessore, Episcopo tunc Dioecesis Sarzanen., cui Dioecesis Carrariensis erat unita, die 27. Oct. anni 1787 evulgato. In hoc enim §. 4. haec leguntur: *Rimarrano feste d'intero precello: coll' astinenza cioè dalle opere servili, e coll' obbligo di ascoltare la s. Messa tutte le Domeniche dell' anno, ed il giorno susseguente alle Domeniche di Pasqua, della Pentecoste. . e nella Città e Principato di Carrara per grazia speciale di Nostro S. la festa eziandio di s. Ceccardo Protettore della stessa Città: Si itaque Eccl. Colleg. Titul. non carebat; si non carebat suo particulari Patrono Civitas Carrariensis, quomodo Episcopus utriusque festum abrogando s. Franciscum illis suffecit? et cur s. Franciscum illis subrogaret utriusque jus reticuit? Fortasse quia hanc substitutionem, quam vehementer optabat, facilius obtineret: at haec reticentia dolosa forsitan nimis, omnibus videri poterat et nullam facultatem, quam expetebat, ei futuram*

pertimescebat. Sed neque ex decreto ulla facta fuit facultas veterem abrogandi Titularem: non alia enim ipsi facultas facta fuit, nisi ea quam postulabat: atqui haec non respiciebat nisi patronum dioecesis, quidquid igitur hanc praetergreditur facultatem, quidquid ultra hanc egit Episcopus, nimiae est adscribendum libertati. Sane decretum non loquitur nisi de Patrono dioecesis, nulla alia itaque Episcopo facta fuit facultas, nisi eligendi et quidem juxta regulas in hujusmodi electionibus servandas sanctum Franciscum Assisiensem in Patronum Civitatis Carrariensis, nihil pariter ex memorato decreto eruitur nisi approbatio electionis. Cum itaque de solo dioecesis Patrono in eo sermo sit, cum jam ex concessione et vi decreti praexistentes et Ecclesia titularis et particularis civitatis Patronus ibi non abrogentur nec s. Franciscus uni vel alteri aut utrique subrogetur, cum neuter ex allata superius doctrina per se abrogatus censeretur possit, sequitur nullum ex his fuisse sublatum nullumque illis fuisse suffectum adeoque s. Andreas Ap. Titularis sit, ut prius, Collegiatae Carrariensis et talis sit habendus. Quare ne haec in re Episcopi libertas attenderetur, qui late nimis facultatem sibi concessam et decretum interpretando Titularem assignavit s. Franciscum, eo quod ut dioecesis Patronum obtinuit, ne cleri et populi eodemque tempore praejudicata et falsa opinio adprobaretur, qua Titularem cum Patrono et vicissim hunc cum illo confundendo unum eundemque eos hucusque habuisse visum est, S. C. opportune censuit rescribendum, nimirum, ut Clerus Civitatis Carrariensis teneretur 1. celebrare officium s. Andreae Ap. sub ritu dupl. I. cl. cum Octava, sicut Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine festo de praecepto: 2. ut servetur festum s.

Francisci Assisiensis Patroni dioecesis universae principalis et s. Cechari Patroni civitatis sub utroque praecepto. Responsio quidem accuratissima et juxta statutas leges et sanctiones, quae simul ostendunt libellum a Clero Carrariensi porrectum haud caruisse fundamento ut in sua ad S. C. epistola Episcopus asserebat.

Aliquid est etiam notandum quoad ritum, de quo sermo ut in II. dubio, cui unica responsione in duas partes divisa S. C. satisfecit. Festa tum Sancti, qui est Ecclesiae titularis, tum aliorum, qui sunt vel dioecesis vel civitatis Patroni, inter solemniora festa adnumerantur.

Id ex omnibus Liturgicis constat, id a rubricis statuitur. In rubrica enim Breviarii tit. VII. de Octavis num. 1. legitur: *Item in festo principalis Patroni et titularis loci vel Ecclesiae.*

Jam supra observatum est generice qui sint Titulares, qui sint Patroni. Notatum specialiter est qui sit Titularis Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, qui particularis ejusdem civitatis Patronus, qui denique Patronus universalis Dioecesis Carrariensis. Cum hi principales sint in suo cujusque genere, tales omnino sunt, ut eorum festa celebrari debeant cum Octava, et cum hoc per se et primario non conveniat nisi festis habentibus ritum dupl. I. cl., ut hic ritus per se non aptetur nisi iis festis, quae inter solemniora recensentur, sponte sequitur et s. Andreae Apostolo veteri Collegiatae Carrariensis Titulari et s. Francisco Assisiensi universali nunc Dioecesis Carrariensis Patrono et s. Cecharo adhuc particulari ejusdem civitatis Patrono ritum dupl. I. cl. cum Octava deberi. Nullam putandum est ex ipsa rubrica moveri quaestionem posse, non quod ait rubrica *in festo*, singularem numerum adhibendo loci vel Ecclesiae sub disjunctione, nihil officit, nam per

hoc non innuit unius tantum vel alterius faciendam esse Octavam, ut si de uno fiat, de altero fieri nequeat, sed illorum, qui principales sunt sive Patroni sive Titulares, scilicet, ut quisque eorum in suo respective est genere, Octava fiat, adeo ut et Patrono sive titulari Ecclesiae sua tribuatur Octava, item Patrono principali loci sive dioecesis sive civitatis sua quoque Octava debeatur, utpote qui eorum unusquisque est in suo genere principalis. Quod si, ut numquam fere evenit, idem sit et Ecclesiae titularis et loci Patronus, unica tunc erit celebranda Octava: idecirco fortasse in rubrica apposita est disjunctio illa *Loci vel Ecclesiae.*

Si agatur de s. Francisco Assisiensi patet etiam ex decreto; hoc enim ei, uti totius dioecesis Patrono, omnes attribuit praerogativas, quae locorum Patronis debentur: Et s. Francisco Assisiensi, in eo legitur, sic in praecipuum Patronum Dioecesis Massen. electo praerogativas omnes attribuit locorum Patronis convenientes: excludit autem jejunii obligationem in praecedenti vigilia, quod tamen pietati et arbitrio fidelium relinquit, *quod sequitur decretum, arbitrio et fidelium pietati relinquendum edixit.* Quod spectat ad s. Andream Ap.: non ei ex decreto (quod certe nec regulas evertit nec rubricae generalis dispositiones invertit aut tollit) per illa verba, quae alia nuper relata immediate subsequuntur, nempe dummodo vero haec ipsa solemnitas non servetur in festo s. Andreae Ap. sicut in reformatione Calendarii, ei non adimitur qualitas titularis saepius memoratae Ecclesiae Collegiatae, nec ritus eidem conveniens, cum jam a multis saeculis talis sit nec ratio extiterit illum abrogandi, alium subrogando Sanctum, sed quodammodo huc qualitas admittitur in suo genere et solum ab ea excludit